

No. 344. 1308. 24. Oct.

*Markgraf Friedrich schenkt zu einer Vicarie in der Domkirche Getreide- und Geldzinsen
in zwei Dörfern.*

Nos Fridericus dei gratia Thuringiae lantgravius, Misnensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plisnensis, ad universorum notitiam tam futurorum quam praesentium tenore praesentium volumus pervenire, quod cum prae ceteris ecclesiam Misnensem pio favore grataque benivolentia deceat nos amplecti, ac eiusdem profectibus et honoribus gratiosa semper intendere voluntate, ipsi ecclesiae Misnensi in villa Ceten^{a)} iuxta Lomatsch sex maldra siliginis et totidem hordei, unumque maldrum avenae, et in villa Clanskewitz^{b)} iuxta Ganam viginti modios tritici totidemque hordei et quatuor modios humuli cum quatuor solidis denariorum, ob honorem et reverentiam sanctae crucis, beati Martini sanctique Donati, ac in nostrorum et progenitorum nostrorum quorumlibet indulgentiam peccatorum de nostra liberalitate appropriamus praesentibus et donamus iusto appropriationis titulo perpetuo possidenda, ita videlicet, ut de praedictis proventibus vicaria sacerdotalis perpetuo habeatur ecclesia in eadem. In cuius rei certitudinem praesentem litteram scribi et nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum anno domini M^o. CCC^o. VIII. IX. Kalend. Novembris in Wassenbureg, praesentibus nobilibus viris Gunthero et Heinrico comitibus de Schwarzburg, Gunthero comite de Keuernbere, H. comite de Stalbere, et honorabilibus viris H. de Zwein praeposito Misnensi et magistro Walthero curiae nostrae prothonotario, Witoldo de Foresto, Ekehardo de Balinhuse, Conrado de Bukkewitz militibus, et quam pluribus aliis fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an Fäden von rother und gelber Seide hängt das sehr schadhaft gewordene Reitersiegel des Markgrafen mit dem wohl erhaltenen Contrasigill.

Wilkii Ticemannus. Cod. dipl. p. 205.

a) Zöthain, Par. Lommatzsch. b) Clanzschwitz. Par. Jahna.

No. 345. 1309. 26. Aug.

*Markgraf Friedrich gibt auf Veranlassung der ihm vom Capitel zugestandenen Aufnahme seines
Protonotars M. Walther als Domherrn Erklärungen und Zusicherungen ab.*

Nos Fredericus dei gratia Thuringiae lantgravius, Misnensis et Orientalis marchio, dominusque terrae Plisnensis recognoscimus et tenore praesentium publice profitemur, quod quia honorabiles viri . . praepositus, . . decanus et capitulum ecclesiae Misnensis praecipue propter deum preces nostras eis humiliter porrectas admiserunt, et magistrum Waltherum nostrum prothonotarium receperunt in canonicum eiusdem ecclesiae concorditer et confratrem, nos eisdem canonicis pro ipso et cum ipso protestationem sub appensione nostri sigilli et capituli dictae ecclesiae praesentibus publice facientes, quod ipsius receptio facta est salva et excepta reservatione et inhibitione vel provisione faciendi domini Borchardi sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopi gratia a sede